



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

53. Henricus I. Lotharingiae inferioris & Brabantiae Dux, an. 1184. auget dotem Abbatiae Villariensis, ord. Cistertiensis, & possessiones omnes confirmat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

Gosuinus & Thiedo Archidiaconi,  
 totumque Capitulum Tornacensis ecclesie, sigillo nostro ap-  
 penso perhibemus testimonium veritati. Datum Tornaci II. Idus  
 Februarij, anno Domini millesimo centesimo octogesimo nono. 1189.

## C A P V T L I I I.

*Henricus I. Lotharingia inferioris & Brabantia Dux, an. 1184.  
 auget dotem Abbatia Villariensis, ord. Cisterciensis, &  
 possessiones omnes confirmat.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego HENRICVS Dux  
 Lotharingæ præsentibus & futuris notum facio, quod possessiones  
 VILLARIENSES, & quæcumque bona eadem ecclesia sub po-  
 testate mea vel in præsentem possidet, vel postmodum præstante Do-  
 mino, poterit adipisci, sub mea protectione suscipio, seruata ordi-  
 nis, quem fratres eiusdem loci professi sunt, libertate.

Præsentem itaque priuilegio statuo, vt in tota terra mea memorati  
 fratres, & eorum animalia, seu quælibet ad vsus eorum pertinen-  
 tia, nullam in pascuis aut vijs ceterisque eiusmodi beneficijs pa-  
 tiantur molestiam, nullo grauentur iugo seruitutis, nulla sæculari  
 exactione perturbentur, sed in ea libertate, quam Claræ vallis  
 ordo habere dignoscitur, quæcumque illis diuino beneficio collata  
 sunt, sibi suisque successoribus illibata permaneant; in quibus hæc  
 proprijs duximus exprimenda vocabulis:

Alodium de Villari, sicut illud possident sæpediti fratres, vsua-  
 ria in siluis & pascuis Baijsensis alodij, seu quidquid ex dono Ni-  
 uellenis ecclesie . . . . grangias de Gemiontrau, & Bernisart, & Bo-  
 neria, cum omnibus pertinentijs illarum, vel quidquid habent in  
 Chessart, quod ad me vel homines meos iure aliquo spectare dig-  
 noscitur,

Grangiam de Stoyssy, cum omnibus pertinentijs suis, quæ de ma-  
 nu mea descendere, & à pristinis exactionibus noscitur esse liber-  
 rima, grangias de Emelemont, & de Lompret, cum pertinentijs ear-  
 um, grangiam de Scotus, & quidquid in ipso possident alodio;

Alodium de Thorembari, quod Sigerus & Godefridus fratres, &

V V 3

eorum



eorum soror Ermetrudis, sine vlla diminutione eiusdem alodij, in eleemosynam contulerunt;

Alodium quod habent in *Rehorfart* & in *Ramelies*, & in *Hardorp*, alodium de *Opperbais*, sicut illud possident liberrime, ex multorum donatione & mea pariter affirmatione.

1184. Actum GELDONIAE, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo quarto, decimo octavo Kalendas Maij, Indictione secunda, sub testibus quorum subscripta sunt nomina.

*De clericis.*

ALBERTVS frater meus,  
Richo de Tenis.  
Arnolphus Notarius Ducis,  
Gerardus de Nethen, & Magister Daniel.

*De nobilibus.*

Ægidius de Duras, & Petrus frater eius.  
Wilhelmus de Birbais.  
Godefridus & Walterus frater eius, & Renerus Ruffebosch.

*De familia.*

Arnulphus de Bigardis.  
Arnulphus de Walehem,  
Alardus Rox, Consiliarij Ducis, & alij complures.

NOTATIONES.

HENRICVS I. ) Brabantia Dux an. 1235. obiit, Louanij ad S. Petrum in medio choro conditus.

VILLARE seu Villarium, Abbatia ord. Cisterciensis, seu Clarevallensis (vt in isto diplomate nuncupatur) in Gallo-Brabantia & diocesi Namurcensi, ad Thiliam seu Diliam fluuium, qui Louanium perluit. Villario vicinus est vicus *Tilly*, cum arce insigni; cuius loci Comitem primum Ferdinandus II. Cæsar Ioannem Sercladium, belli ducem fortissimum, creauit.

DE SCOTIS. ) Designatur vicus *Schooten*, prope Antuerpiam.

GELDONIA ) Flandris *Geldenaken*, Gallis *Iudoigne*, Gallo-Brabantia opidum.

ALBERTVS frater meus. ) Designatur S. Albertus Card. & Episcopus Leodiensis, de quo supra hoc libro cap. 48. egimus.

CAPVT